



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructæ

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

191. An institutio fieri possit lapsum terminum edicti, & sic facta sit nulla.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)

Quaestio 191. An institutio fieri possit ante lapsum terminū edicti, & sic facta sit nulla?

Respondeo: institutio facta ante lapsum terminū edicti, est nulla. Corrad. l. 4. c. 3. n. 30. & 28. citans Riccium in *pr. fori Eccl. decis.* 161. Quin & facta vix elapso termino habetur pro praecipitata, & est nulla tanquam facta non adhibita cognitione causae; ad validitatem enim institutionis pertinet, ut praemittatur cognitio horum 4. vacationis beneficii, clarae existentiae juris patronatus, habilitatis praesentati, praesentationis facta in tempore, quae licet supponi videantur in ipso actu praesentationis valido; supponuntur quidem simpliciter in isto actu, discutienda tamen, antequam deveniatur ad institutionem. Lott. l. 2. q. 13. num. 57. & 58.

Quaestio 192. An necessario, qualiter, quo fine, & ordine, ad quem effectum ante institutionem praemittendum edictum?

1. Respondeo ad primum: post factam praesentationem, & praesentati acceptionem necessario expedienda sunt litera edictales seu edictum, quo citentur, seu vocentur omnes, quorum interest; ita ut sine hujus edicti citatorii legitima publicatione facta institutio sit nulla. Pirh. ad *h. r.* num. 3. Corrad. l. 4. c. 3. num. 28. citans Riccium, Garc. p. 9. c. 4. num. 1. (qui etiam num. 2. ait expressè id procedere in Canonicatibus, aliisque simplicibus beneficiis, citans pro hac Jo. Andr. Anchar.) Lott. l. 2. q. 13. num. 20. & 23. ubi ait, quod propter omissionem dicti edicti vitietur actus institutionis ipso jure propter decretum irritans appositum in *can. paulo* post citando, ut communiter DD. (quorum plures citat, uti & plures Rorae decis.) in *c. finale. de elect.* quem textum, etsi expressè non nisi de confirmatione electionis loquatur, extendi tamen ad institutionem, uno ore, ut ait Corrad. num. 20. faterentur AA. & nominatim Garc. *loc. cit.* citans gl. Jo. Andr. & c. in *cit. c. Lamb. p. 2. l. 2. q. 6. 4. 2. q. 12. Flores de Mena. Roch. & c. contra Bellamer. decis. 619.* & quosdam alios. Ait nihilominus Lott. num. 24. & seq. quod etsi eadem ratio, super qua fundatur dispositio *cit. c.* (nimirum quod nemini, ut ait Apostolus, citò manus imponenda; ne competitor aliquis seu oppositor legitimus supplantetur) locum habere videatur in institutione, sicut in electionis confirmatione; & hinc dictum textum sic interpretentur de institutione quoque DD. hoc tamen inductum per interpretationem non habeat tantam vim, quantam haberet, si specialiter quoque sic statutum de institutione in *dicto cap.* Ed quod licet quilibet institutio amplietur & restringatur ad limites rationis in ea expressa, adeo etiam, ut eadem ratio decidat omnes casus, non per extensionem, sed per comprehensionem, ad instar generis complectentis omnes suas species; id tamen procedat in ratione identica, non in similitudinaria, ut Suar. de *l. l. 6. c. 3. num. 3. & 4.* & quidem non nisi in identica adaequata, & usque adeo intrinseca & universali, ut omnes casus, qui ejus vi in lege comprehenduntur in ordine ad justitiam & prudentiam legis necessario connectantur; ita ut sit contra rectam rationem & prudentiam, in quibusdam casibus tantum, & non in omnibus eandem rationem participantibus disposuisse, ut Suar. *loc. cit.* num. 20. & 21. Quapropter ait Lott. à n. 28. quantum pertinet ad vim obligativam, non videtur in hac materia institutionis, & sic diversa à ma-

teria confirmationis pluris aestimanda ea interpretatio, sive extensiva, sive comprehensiva, quam simplex interpretatio probabilis, non necessaria; utpote quae à prudentum interpretatione tantum dependet; cum necessaria ad solum principem spectet; uti etiam, quod nomine *electionis* late sumptu veniat ipsa praesentatio, & quod dicta ratio non videatur extranea ab actu institutionis, non tam necessario, quam probabiliter tantum, extensionem hujus textus ad institutionem importat; nam neque dicta ratio ita est intrinseca utrique materiae, confirmationis nimirum, & institutionis; ut hos casus connectat in ordine ad justitiam legis, & prudentiam legislatoris, & hinc legislator redargui possit injustitiae, aut imprudentiae, cur magis eam rationem applicaverit materiae confirmationis, quam institutionis, alterive simili, prout requiritur ad effectum, ut extensio sortiatur plenam vim obligativam; cum dicta ratio, nempe desertio celeritatis, non militet in omnibus casibus, sed plures sint, in quibus celeritas commendetur, reprobeturque ab Apostolo celeritas, sed indidrecta; ut Lott. à num. 32. Ex quibus omnibus concludit Lott. n. 34. non male pronunciatum à Rota apud Bellamer. *cit. decis.* 619. *cit. c. fin.* inducere jus novum, à communi exorbitans, ac proinde extendi ad terminos confirmationis, & non extendi ad materiam institutionis, sustentabilemque esse opinionem Bellamer. in ipsa vi obligatoria legis, tamen si dicat praevallere sententiam contrariam, eamque communiorem esse.

2. Porro requiri adhuc dictum edictum sub pena nullitatis institutionis, dum agitur de prima praesentatione & institutione in beneficio recens erecto, vacante à primava illius institutione; dum fundator adhuc vivit, & praesentatur is, quem patronus voluit primò habere beneficium, isque notoriè esset bonus & idoneus, tradit Corrad. *loc. cit.* num. 27. Argumento *dicti cap. fin.* dicens, esse sententiam in praxi receptam ex omnium Curialium Ecclesiasticorum communi observantia, contra Lamb. p. 2. l. 2. a. 8. q. 6. Item requiri adhuc edictum tanquam de substantia, idem Auctor tradit; etiam si beneficium juris patronatus de proximo vacavit, & in illius vacatione omnes solennitates, juxta dictum *c. fin.* servatae fuerint; ita ut constet, praesentantes fuisse patronos, & in quasi possessione praesentandi, praesentatum idoneum, nullumque adesse competitorum, aut compraesentatum; ed quod interim potuisset aliquis reperisse aliqua jura, ut contradicere possit, & si citaretur, illa produceret; alias non citat pro hoc Lamb. *ubi ante a. 13. num. 1.* Et in summa lex illa de ponendo edicto officit, seu obligat omnes inferiores Papae Ordinarios, qualescunque illi sint, in tantum, ut quis Legatus Papae in provincia sibi demandata Ordinarius reputatur, juxta *c. 2. de off. leg. in 6.* juxta *gl. v. reputantes;* nisi & ipse praemittat hoc edictum, institutio per ipsum facta de praesentato coram illo sit ipso jure nulla. Lott. l. 2. q. 13. n. 42 & 43, citans Rotam in *Valentinae beneficii*, 10. Martii 1617.

3. De cetero opus non est edicto, ejusque omifio non impoat nullitatem institutionis, primò in Ecclesiis, ubi non viget usus istiusmodi edicti; ed quod, cum appositio & publicatio edicti sit juris positivi, contra illud praevallere potest consuetudo. Garc. p. 9. c. 4. num. 10, citans Aym. *conf.* 63. n. 2. & Rotam. & num. 12. subdens, quod, cum ista consuetudo non sit contra jus clarum, sed contra communi-